

ANTONII CAESARIS

M A R T I A T H E R E S I A

LIBER SECUNDUS.



Rancigenos inter cum bellum exarsit & Anglos
 Jamachiam propter, veritus Rex Anglus, in oras
 Ne forte Hannoveras irrumpat Gallica pubes,
 Cum Borussiaco pepigit nova foedera Rege.
 Hic ansam arripuit, divulgavitque diserte

A Berolinensi praelo, modo vita maneret,
 Non commissurum, simplex ut Gallus in orbem
 Germanum irreat: si vero irrepsit ullus,
 Viribus integris, ut longe expellat, iturum.
 Hoc sibi propositum sparsit Borussus ubique.
 Ast alii, cordis qui divinare latebras
 Crediderunt, alio duxere alludere Regem;
 Et speciem hanc tantum majori obtendere bello.
 At fore consilium, quotquot Germania jactat,
 Reddat ut exermes Proceres, viresque coactas
 Adjiciat propriis; queis sane exercitus ingens,
 Fortis & emergat, capitum qui pene trecenta
 Millia, & his turmis Gallorum irrumpat in oras.
 Sed veritus, tales ne forte infringeret ausus
 Theresia, Imperii Proceres tueatur ut omnes;
 Propterea enixe pacem bis terque petivit,
 Ad geminos annos minimum quae firma maneret.
 Quis vero Gallum se fallere posse putarit?

Gal-

Gallus odoratus mentem est illius, & astus;
 Et cum Theresia foedus praevertit inire:
 Nec satis id; pariter Moschos in bella vocavit,
 Westphalicam & pacem pactos servare Suecos
 Perpetuo indemnem, quovis & ab hoste tueri.
 His ita compositis, mora nulla est addita coeptis; (I)
 Diluvies Gallorum ingens invasit & orbem
 Teutonicum, in ternas partes digesta sed ivit:
 Occupat Hannoveros pars magna irrumpere fines:
 Dux erat Etresius, dux sicut callidus artes
 Bellandi penitas, praesenti ita pectore fortis.
 Hic igitur movit, quanto potis ocyor, inque
 Hannoveros venit fines: exercitus illic
 Magnus erat (plus atque minus triginta virorum
 Millia) non una, variis sed gentibus idem
 Conflatus, Princeps & Cumberlandus agebat:
 Cui quoniam inferior numerus, quam Gallica pubes,
 Solerti pro mente locum contendit adire
 Prorsus inaccessum, quique una a parte lacunis,
 Montibus ex alia, valida defensus & urbe.
 Sed quid virtuti Gallorum obsistere possit?
 Sub duce praeterea tali, qui singula rerum
 Momenta expendit, temere nusquam agmina ducit;
 Sed prius explorat cautus, quid cogitet hostis,
 Quidve paret tacitus vel quosnam instruxerit astus:
 Inde agit ad palmas potius, quam praelia turmas,
 Ut modo successit. Scandit saxa ardua Gallus,
 Irruit, Hannoverosque sua statione repellit
 Multa obluētatos; nequicquam at cuncta fuere.
 Ex alia, quamvis altas, regione paludes
 Exuperat, genibusque tenus mergatur ut undis,
 Obvius & gurges quamvis sit, & ima vorago;

Aut

Aut natat, aut transit; sic demum invadit in hostem,
Impetit & flammis, impacto & trajicit ense.
Ac segnis nusquam hostis adest; quin excipit idem
Intrepidus, plumboque simul ferroque laceffit:
Inque suo stat quisque gradu, seque obstinat acer
Oppetere instantem mortem, vel dedere morti.
Ergo incerta diu durat, nec utrinque senescit
Pugna, sed octavam tenuit protracta per horam.
At numerus tandem, virtus & Gallica vicit.
Hannoverum fuerunt ultra tria millia caesa,
Dimidium ex Gallis; tormenta curulia dena
Hi porro accipiunt, certi monumenta trophaei.
Ac nisi Gallorum partem de vertice clivi
Pugnantem densis necopini e saltibus orti
Hannoveri aggressi fuerint, his parca facultas
Vix erat integris excedere Martis arena.
Mutua dum siquidem flamma ingruit inter utrosque,
Caetera Gallorum pubes submota negavit
Nosse, quis ex illis hostis, quis amicus & esset.
Horrida propterea flammaram injuria triplex
Hannoveri & Galli, & quorum neutra agnita signa,
Gliscit, & exitio cunctos involvit eodem;
Atque invita neci dedit, quos dedere nollet.
Id procul intenti prudentia mira notavit
Etrusci, turmisque suis ibi sistere mandat,
Parcere, & Hannoverum versis instare catervis:
Tempore qui tali capto, solerter & usi
Sublapsi tacite fallunt, alioque faceffunt.
Hoc ipso Etrusci nec abusus tempore; fructus
Sed legit, exhibuit quotquot victoria talis:
Hannoverum cunctas urbes sub jura redegit:
Et postquam confecta sibi provincia pene est,

Inde triumphali curru sublimis ovanſque,
 His actis quoniam multum eſt indeptus honoris,
 Eſt Pariſiacam victor revocatus in aulam.
 Intulit Etreſius, bellumque abſolvit in orbe
 Hannovero: pacem vero Rechiulus eodem
 Duxit bella gerens; adeo quippe inſtitit hoſti,
 Sectatusque fuit, pugnamque oſtendit, in urbem
 Ut demum impulerit profugos ſuccedere Staden.
 Hanc ille amplexus, turmiſque ambivit ubique;
 Et vetat, ut fruges, aut ulla alimenta ferantur.
 Hinc fuit, ut pacis peterent ſibi foedera clauſi
 Hannoveri, paxque ic̄ta fuit ſub lege, Viſurgi
 Trajiciat ripas ultra pars major, ibique
 Affideat, donec fileant ea bella; comaque,
 Qua patet Europe, pacata cingat oliva.
 Atque ut promiſſis maneat pars illa, fidemque
 Exſolvat, medius manceps Rex Danus habendus.
 Caetera pars autem Staden devinciat urbem
 Praeſidio, pactosque neget transſmittere fines.
 Indiſtum auxiliis, quae ferme plura fuere
 Hannoveris iſtis auro conducta Britanno
 Gentibus ex variis, abeant, ſua tecta petantque;
 Inſiſtantque viam, quae ſcripta abeuntibus eſſet.
 Hac pace Hannoveri litui tacuere ſequeſtra.
 Non alibi at Galli litui tacuere: ſubaſta
 Sed longo obſidio ſe Gueldria dedit illis.
 Sic quoque ſuccubuit Damne victricibus armis:
 Dives opum Damne, & Batavo circumflua ponto:
 Omnia quae porro ditioni aſſerta fuere
 Thereſiae, pendunt illi vectigal, & ejus
 Praeſidium acceptum, jurantque in verba jubentis.
 Ne vero huc referar, diſpuncta ut tempore longo (2)
 Nunc

Nunc alia attexam, Gallorum aggressa Juventus
 Quae fuit hoc bello. Collegerat agmina multa
 Romani Imperii corpus; respectus & armis
 Ille erat, attritas, & ad incita pene redactas
 Saxoniae terras extremo abducere damno,
 Imperii membrum quae ferme excelsius essent.
 Copia Gallorum turmis se junxerat illis
 Non levis: & postquam vires placuere, movetur
 In Borussidas: longe novus Annibal inde
 Non aberat, qui seu victor, seu victus eodem
 Proposito constat, qui sese offerre periclis
 Non modo non dubitat, praesenti at pectore gestit,
 Mentitus fuit ergo metum Fridericus, abire
 Et fingens subito tentoria cuncta tumultu
 Detendi jubet, & turmis incurrere turmas,
 Haud secus ac timidas; ut denique fallere posset,
 Omnia commentus, quae providus Annibal olim.
 Conspiciunt Galli, solitoque ardore subacti
 Exclamant: Tendamus io! propteremus ioque
 Unanimi assensu! Vocem impetus excipit acer:
 Praecipitantque, adduntque gradus, muralia secum
 Aut pudet, aut minime curant tormenta vehenda:
 Profiluere, volantque. Manet Fridericus, & astus
 Occuluit, donec propius gens Gallica venit.
 Post acies idem trepidas tormenta locarat
 Plurima, non magnis, inferta at glandibus olim
 Exiguus: magis inde fugam finxere catervae,
 Recluduntque aditus; unde ilicet ignea grando
 Erupit bolidum, prostravit & integra late
 Agmina: non animos Gallus despondet, at ire
 Contendit propius; sed glandibus obvius adstat
 Hoc magis; interior quo sese, & proximus infert.

Hinc quia tempestas gliscit plus horrida plumbi,
 Expulsi excedunt, excedentesque minantur,
 Invitantque hostes nudo decernere ferro,
 Non jam diluvie flammae, bolidumque procella;
 Ac tandem evadunt. Gestit Fridericus abisse;
 Non tamen idcirco est satius contentus: equestres
 Sed nimbos jubet ire citos, septosque corona
 Excipere, amplecti Gallos, & ducere captos.
 Non tulit hanc vero speciem Hildburgausus; at ietum (3)
 Quadrupedem calcare foditque, & laxat habenas,
 Atque improvisus sese impulit hostis in alam;
 Et gladium rotat, & punctim caesimque rotato
 Vulnera dat centum, centena & funera portat.
 Huic geminae Austriadum sese junxere cohortes,
 Et totidem agglomerant Gallae: bis terque repellunt
 Borussos, toties seque invexere repulsi:
 Ac tandem incoeptis abeunt, ceduntque triumphos,
 Se flammis astuque simul duxisse professi.
 Haec igitur mira illa fuit victoria, cujus
 Ut plausum exciperet, misit triginta veredos
 In varias urbes laetus Borussus, & ipsam
 Praecipue in Dresden; ubi passim carmina laudis,
 Et simul artifices ignes sonuere per auras.
 Ad quorum aspectus gentis Regina Polonae,
 At quondam Regina, modo non amplius illa,
 Labitur in caput, & gladio trajecta doloris
 Occidit; e tecti siquidem regione paterni
 Carminaque, & flammae partos cecinere triumphos.
 Me quoque sed Moschi, peregrino aut nomine Russi (4)
 Cur modo detrectant, inhibentque attexere pubis
 Austriacae hic palmas, propriasque intendere chordis?
 Inclyta Moschorum quaevis praeconia supra

Eminent cum Czara, suis mea carmina reddat
 Augustis titulis, augusto & nomine clara.
 Theresiam Czaramque inter jam tempore prisco
 Pactum foedus erat; si bellum erumperet unquam,
 Viribus adscitis tum mutua regna tueri;
 Saxoniae & fuerat Princeps hoc foedere clausus.
 Ergo ubi Boruffus terras invasit utrisque,
 Protinus ingentes immisit Czara catervas,
 Duxque Apraxinus Princeps electus ab illa.
 Est iter ingressus quocunque exercitus, omnes
 Occulit innumero vestitos milite campos.
 Quaeque per Europen est diffusa fama, fugandos
 Brandeburgiadas penitus vulgavit ubique.
 Sed quoniam seu longa nimis via, sive lacunis
 Obsita sit quoniam, coenoque obstructa paludum,
 Mature excedunt, sero venere catervae.
 Sed causas alias Cynici adstruxere Theones:
 Scilicet haud unus nimio legatus ab auro
 Obrutus, incessit, quod onustus pondere, tardus.
 Denique post menses multos adiere phalanges
 In Boruffiacas terras. Exercitus illic
 Hostis magnus erat; ductor Levoltus agebat.
 Inter inaccessos campos, obitosque lacunis,
 Et nemore, & saltu metatus castra sedebat
 Ductor: id advertit simul Apraxinus, & esse
 Rem conclamandam, & certo discrimine plenam
 In salebras deferre suas, & in avia turmas:
 Ergo iter intendit longe regione remota:
 Quo facto, haud alio posset Boruffus abire,
 Quippe iter obstructum; si porro infederit illic,
 Non sibi suppetent a tergo alimenta vehenda.
 Consilium hoc tenuit, cauta praevertit & arte

Levoltus; celer ergo movet, seque obvius offert;
 Ob longum dum fessus iter, dum sarcina tergo
 Pendet, & instructus nullo foret ordine Russus.
 Hic simul ad metam venit, quam grandia pila
 Praetereant; adigit, plus centum iteravit & ictus:
 Semper & interea propius Borussus adivit,
 Transigat ut ferro rem totam, aut glande minori;
 Et recta in medias acies sese invehit acer.
 Russiadae at quamvis non recta fronte manerent
 Digesti, assultus hostis fregere ruentis;
 Inque gradu constant stabiles, similibus furore
 Ignibus excipiunt ignes, atque ensibus enses,
 Institerit quamvis longe vivacior hostis.
 Sic geminas pugnae fervor protractus in horas,
 Sed dubio eventu, dubio discrimine semper.
 Vidit, & indoluit secum Levoltus, abique
 Protinus incoeptis, majorique impete cornu
 Impetiit dextrum, sortemque ibi nactus eandem.
 Disposita hic aderant tormenta curulia multa:
 Haec foedam ediderunt cladem: qua clade subacti
 In sese implicuere equites, alioque faceffunt,
 Apposita ut possent peditum legione tueri
 Se profugos. Campi facies, ubi pugna calebat,
 Aequa sed haud quoniam fuerat, quia dissita saltu,
 In causa fuit, ala foret disjuncta sinistra
 A media Moschorum acie, se credidit uti
 Levoltus tum sorte sua, collegit & omnes,
 Quas potuit, vires, illoque impegit adactas:
 Sed fuit id frustra; non longe adstantia tendunt
 Subsidia huc praesto, & renovant clademque fugamque.
 Hic conclamatum est, profligataeque catervae
 Sunt Borussiacae; male fausta & Martis arena

Excedunt, pugnantque simul; tormenta relinquunt
 Plurima, & oblectos aut strage, aut sanguine campos.
 Id fuit extremum facinus, quod Russica pubes
 Edidit hoc anno. Germania tota morata est
 Hanc desiderio non parvo, & tempore magno:
 Et postquam emerfit, non una est urbe potita;
 Afflixitque hostes pugna: spem praeter at ipsam
 Serius ut venit, maturius inde reversa est.
 Rursus at Austriacas acies, pugnasque frequentes, (5)
 O mea mens animi, repetas, nec carmine porro
 Spes tibi nunc subeat tenues percurrere pugnas.
 Seclum erit, incessat talis si forte cupido.
 Ne nimium effusis ergo spatieris habenis,
 Alipedem celer intus agas, pete sedula metam.
 Theresiam adversus siquidem sola integra Mater
 Auxilium plenum dignata effundere: quoquo
 Austriadae, quicumque forent, vexilla tulere;
 Adfuit hic passis victoria saepius alis,
 Victricesque acies ulnis complexa benignis,
 Exhibuit lauri silvas, & tempora vinxit:
 Quod minus indultum reliquis ut foedere junctis
 Gentibus, & lauri fructus queis cessit amarus.
 Arduaue Austriadum quisquis facta auribus haurit,
 Facta quot accepit, totidem quoque passus adesse
 Prodigia, humanas longe excedentia vires.
 Huc ades, haud bifrons, sed fronte insignis, Iane; (6)
 Adjiciantque fidem tua facta illustria dictis.
 Gentibus ex variis juvenum tria millia lecta
 Hic secum adduxit, parvamque infederat urbem
 Nomine Lanshutam. Turmas expellere gestit
 Finibus a propriis ductor Borussicus, Urbis
 Non procul amotae Praetor, Suaidniza vocatur.

Ergo

Ergo abit & validas acies, octona virorum
 Millia, movit agens: hostes subsensit Ianus;
 Et semet, comitesque suos accingit; & horum
 Apposito in saltu pars abditur altera; major
 Altera pars autem sese procul explicat urbe.
 Applicat his acies proprias Borussus, at idem
 Ob longum quod fessus iter, quod noctis & umbrae
 Appeterent, inibi tentoria passa tetendit;
 Ut somnum acciperet. Tenebras ubi vidit adultas
 Austriacus ductor, multos jubet ire volones,
 Qui requiem excutiant: tendunt, & sidera primum
 Clamore horrifono, feriunt mox glandibus hostes:
 Hi surgunt, & ad arma vocant: quae meta sed armis,
 Non bene conspiciunt, mediam semetque per horam
 Trajiciunt: error cum denique talis apertus,
 Itur in Austriacos: sed laeti abiere volones,
 Borussos multare suis potuere quod ausis.
 Cum porro illuxit, renuit generosus Ianus,
 Ut veniant hostes: praevertere primus at illos
 Occupat, in vigiles & aperto irrumpere Marte.
 Ergo movet, pariter Borussus & obvius ivit:
 Ast ipsum excepit bolidum furiosa procella:
 Hae porro innumerae incurrunt, quas Martia moles
 Simplice centenas ultra jaculatur in ictu;
 Et foedam intulerunt cladem; nec talis Iano
 Sat clades discreta fuit; nam plurima terris
 Tum nebula ingruerat, fuit unde aspectus ademptus.
 Ventus Hyperboreis ubi vero missus ab oris
 Accidit, & nebulas, fumi discussit & umbras,
 Integra tunc strages oculis lustratur Iani:
 Continuo hic resonis, festis & vocibus inquit:
 Sit, Socii, mora nulla; alacres properemus in hostes;
 Ante

Ante sed expulsas sclopi effundite glandes:
 Postea, quam cladem moles peperere curules,
 Copia vel bolidum sclopi contorta canali,
 Haec eadem, stricto ense, novis cumuletur acervis.
 Serius emissas caveis erumpere tygres,
 Lenius exertis contendere dentibus, atque
 Mitius objectos invadere duxeris ursos;
 Illa Croatorum quam turba acerrima tali
 In dicto exiluit, seque invehit agmine recto:
 Et primum resonis clamoribus impulit auras;
 Mox teretes plumbi jaculatur arundine glebas;
 Tum gladium infligit, mortes cladesque ferentem.
 Hic animis porro cecidit Borussica pubes,
 Et nudat sua terga fugae, retroque facessit,
 Et celer appropere, se qua Suaidnitza moratur.
 Atque adeo intendunt rapidum gressu alite cursum,
 Ut minime fuerit curae, tormenta relicta
 Quod jaceant illic septem mavortia, laeti
 Hostis ad arbitrium, certique insigne trophaei.
 Nec manet interea Ianus: verum ipse, simulque
 Praepete persequitur pubes Pandurica gressu
 Ocyus elapsos, obluetantesque trucidat:
 Et petit in manicas, quisquis se dedidit ultro.
 Ipse sed e fociis primus contendit Ianus,
 Quaque obnitentes hostes videt, advolat illuc,
 Fulminat & vultu, lingua tonat, & rotat ensen
 Perpetuum in gyrum, & stillantem sanguinis imbre.
 Quin licet occisus sonipes suus, exilit inde,
 Insiluitque novum; & profugis velocior instat.
 At quoniam evadunt veluti pernicibus alis,
 Qui sibi consultum properant, metuuntque saluti;
 Propterea ex pugna reliqui quicumque fuere,

Casibus

Casibus exempti muros adiere petitos
 Ocyus: ac illos sectata Croatica pubes.
 Indoluit Suaidnitza, prius quae viderat ire
 Robora tot juvenum, mutilata & fessa redisse,
 Triginta & currus, ubi faucia turba jaceret.
 Quae lyra, qui porro numeri, quae lingua, tubaeque, (7)
 Aerea sint quamvis, solidoque adamante rigescant,
 Undique Nadastin certamina clara ferentem,
 Atque excedentem ductis certamina palmis
 Sectentur, strictimque velint libare canendo?
 Attrahit ut ferrum magnes, licet inde remotum,
 Sic ferri aspectu, litui clangore crepantis,
 Lumina si feriat, bibulas si verberet aures,
 Protinus huc avido Nadastis pectore fertur:
 Fertur, & adventus vestigia linquit ibidem.
 Hunc ferme similem juraris fulminis igni,
 Cum ruit in praeceps laceris e nubibus ille,
 Terribili indicit tonitru bella horrida terris,
 Conspicquamque fidem praevertens fulgure reddit:
 Mox venit, & late varios revolutus in orbes,
 Huc ruit, evadens alio palatur & inde;
 Et parit exitium, fuerit quocunque vagatus.
 Sic quoque Nadastis velox huc pergat, & illuc:
 Quo tamen irrumpit, quo sese strenuus infert,
 Imprimis infractae monumenta insignia dextrae
 Erecta in stragis tumulo, descripta cruore.
 Mons erat arrectus, dorsoque abruptus ubique,
 Inque modum metae devexa cacumina tollens,
 A lignis cui nomen inest. Paulum inde remota
 Cum Boruffiacis metatus castra sedebat
 Bevernus: quoniam vero metuebat, ab illa
 Ne parte Austriacae tentent irrumpere gentes;

Consilii duxit fastigia summa tueri
 Montis, & idcirco juvenes, qui millia dena,
 Seligit e reliquis, potior queis bellica virtus;
 Concolor est illis dictus legatus: eidem
 Est Winterfeldo nomen, quo fortior alter
 Pectore nec firmo, nec mente sagacior ullus;
 Excipias Regem, Regique hoc nomine semper
 In primis acceptus: adit, vestigat & omnes
 Dux humeros, dorsum omne notat, juga singula lustrat;
 Invia tunc inibi fuerant quae nata, relinquit;
 Obvia quae vidit, solerti haec obstruit arte;
 Emendatque sibi, quidquid natura negarat.
 Grande supercilium qua prominet, agger ibidem
 Surgit, & aequata decurrere fronte videtur.
 Planities ubi lata patet, productior illic
 Desidit vasta depressa voragine fossa;
 In monte & valles, montesque in valle creantur.
 Ecce autem Nadaftis adest, suaque agmina ducit
 In montem objectum. Vadit, sed pergere miles
 Possé negat; ruptas siquidem transmittere rupes,
 Atque intercisos calles sibi parva facultas:
 Hinc repit, manibusque suis, & poplite nixus
 Se sursum evolvit: nec capto e vertice montis
 Boruffi interea cessant incessere flammis.
 Est ubi deventum per multa pericula tandem,
 Aggere qua longo, lataeque crepidine fossae
 Brandeburgiadae tecti, firmique latebant,
 Mutuus extemplo bolidum ruere undique nimbus,
 Atque invadentes vallum, vallumque tuentes
 Sternere. At Austriacus, nulla formidine fractus,
 Obvius it morti, seque arduus objicit igni.
 Primus Arembergus, primum ducebat ut agmen, (8)

Imperio, exemplis sic irritabat: eidem
 Stolperchus Princeps socium sese addit, & una
 Exacuunt acies, alacres hortantur & ire,
 Qua Borussiacus protectus ab aggere pugnat.
 Obsequitur, milesque gradum velocior addit,
 Et petit, & petitur flammis. Proh ferrea gentis,
 Ferrea corda ducum, quos mors non terreat ipsa;
 At contra alliciat venienti occurrere falci!
 Hic alii pugnant, renuit pugnare, sed ardet
 Vincere Nadaftis: discriminis alea plena
 Sit licet, ascendit septum, saltuque cavernas
 Occupat insiliens, seque injicit arduus arma
 Inter, & armatos, fossas & cladibus aequat.
 Ah parcas animae, parcas, dux inclyte: quare
 Egregiam, sublimem animam ferro acer, & igni
 Objicias? Si nulla tuae tibi cura salutis,
 Theresiae at studium subeat. Te vindice multas
 Illa acies cernet tecum retulisse triumphos:
 Si pereas (Deus avertat) spectabit inertes.
 In media miles fossa cum vidit adesse,
 Fulmineoque ducem torquere volumine ferrum,
 Et laxare forum, Borussiadasque fugare;
 Praecipiti saltu se protinus injicit illuc,
 Incutit & pariter gladios, & funera miscet.
 Parte alia Carolus Princeps de sanguine cretus (9)
 Saxonico, fraterque suus Xaverius, ore
 Fulmina spirantes, & agentes turbine ferrum
 Perpetuo, insiliunt septum, valloque potiti
 In fossam invadunt, mutilatisque artubus implent.
 Tyndaridas dicas fratres: sic ore venusti,
 Corpore sic agiles, sic majestate verendi,
 Sic impingentes horrendis ictibus enses.

Se comitem adjungit Gallo de germine natus
 Dux Montazetus, nec palmas invidet ulli:
 Ingenita virtute ruens nam demetit aequas.
 Sed nec Arembergus torpet, munimen at acer
 Transcendit, magnoque gradu tenet: area lata
 Conspicua est, quocunque ferox sese invehit ille.
 Tum vero arrisit quavis victoria parte:
 Et tantum fuga multa, cruor, stragesque videntur,
 Dum celeres abeunt hostes, avidique sequuntur
 Austriaci: impulsu gentis tentoria passim
 Procumbunt, sternuntque vias: hinc dissitus ordo
 Perpetuus, ruptaeque acies. Hanc accipit ansam
 Borussus; faciem vertit, seque intulit ultro
 Agminibus densis, ut praelia rursus iniret.
 Vidit Arembergus, damnoque fit obvius heros,
 Et reparat versus, structos & in ordine ducit.
 Tum Borussiacus fusus, mutilatus & aequo
 Se procul abripuit funesta a Martis arena;
 Crevit & exitium, quod Winterfeldus adeptus,
 Non gladio (quis enim gladio foret ausus adire
 Hunc propius?) plumbi trajectus at ilia glande.
 Tu quoque, tu praestas facinus memorabile belli, (10)
 Postera quod stupeat, non aetas ulla sed aequet:
 Unde tuum vivat quaecunque in secula nomen,
 Armipotens Haddiche. Suo sub corde dolebat
 Strenuus hic heros, multas Borussicus hostis
 Quod velut aggressus, fuerat populatus & urbes
 Austriaci juris. Par forsân reddere multi
 Optassent alii, graviora rependere nullus.
 Gestit id Haddichus; dum vero id credit honori
 Theresiae verti, propriae discrimine vitae
 Debeat ut redimi, tentare interritus ardet.

Hinc caput imperii praedae sibi destinat urbem.
 Ergo Berolinum propere contendit in ipsum.
 Exiguas acies ducit: vix quattuor omnes
 Millia, & exiguis invadere sperat in urbem;
 Sub propriis signis quae tot centena virorum
 Millia, & haec belli studiis instructa, recenset.
 Audet at Haddichus, tales absolvit & ausus.
 Credit id Europe; volventia secla negabunt
 Credere, fabellas referent verum inter aniles.
 Cum primum advenit, tacitus prodivit opaca
 Apposita muris silva, quae Regia dicta,
 Haddichus consulta opera: sic fallere duxit
 Nam Berolinenses numero majore putantes
 In nemore occultas acies. mox agmine recto
 Ad Silesiacam portam contendit: at illa
 Non tantum obstructa, at pontem subduxerat altum,
 Qui fluvii adjecti ripas jungebat utrasque.
 Hunc pontem impetiit pilis muralibus ignis!
 Quodque fidem supra est, ivit cum tertius ictus,
 Dissilit in varias partes perfracta catena
 Pontis; & illius sic strata est semita casu.
 Invadunt, ineuntque viam, qui missile telum
 Ejiciunt clavis, & Averno pulvere plenum.
 Accidit eventus felix, portaque reclusa
 Aut fugat excubias, pubes aut Austria caedit.
 Hic nutu Haddichi valida est custodia fixa,
 Quae reduces acies omni tueatur ab hoste.
 Mox aliam invadunt portam, quae nomine Cottus,
 Perruptamque ineunt: coeunt dein agmina multa,
 Area qua grandis media spatatur in urbe.
 Hic Borussorum numerus tum convenit ingens:
 A latere ast illos, pariterque a fronte Croatae,
Austria-

Auftriacae aut sternunt acies, aut inde repellunt.
 Hinc simul Haddichus tota dominatus in urbe est;
 Civibus indicit, grandis numeretur ut auri
 Copia: ni solvant, flammam ferrumque minatur.
 Sed quoniam causis adnectit curia causas,
 Cunctaturque diu, & solvendo haud esse fatetur;
 Tum voce Haddichus refona, dictisque disertis:
 Protinus hic aurum, aut ignis spectetur, oportet.
 Id valuit: numerant tercentum millia nummum;
 Quos hodie appellant florenos nomine trito.
 Hos simul accepit, properus tum nuntius aures
 Perculit Haddichi, multas properare cohortes
 Non modo sub variis ducibus, sed Rege sub ipso,
 Multiplicesque iniisse vias: quibus una cupido,
 Ut reduci occurrant; & toto sanguine capti,
 Quas ignominias tunc accepere, piarent.
 Rara sed Haddichi veluti prudentia novit
 In Berolinensem contendere sedulus urbem;
 Sic etiam valuit celeres eludere turmas.
 Diversa siquidem, & submota ambage viarum
 Nocte sub obscura viginti millia passuum
 Conficit; & socios, semetque in castra recepit:
 His quadringentos captos inducit, opesque:
 Et paucos comites caesos hoc aere rependit.
 Arte quod Haddichus, tacito molitus & astu, (II)
 Praestitit hoc coram, & bello Nadaftis aperto.
 Urbs est insignis, vulgo Svaidnitza vocatur:
 Urbs Silesiacas longe robustior inter.
 Moenibus hanc altis, & circa moenia latis
 Arcibus obsepsit, fossis amplexus & imis,
 Reddat ut invictam quosvis Fridericus in hostes.
 Hanc Urbem egregiam tot murorum labyrinthis

Et

Et Carolus Princeps, & Daunus reddere Matris
 Destinatus Austriacae juri: sed copia certa
 Ut foret, obsidium posset prohibere nec hostis,
 Qui prope Breslaviam castra inter devia stabat,
 Austriacae idcirco gentis pars maxima ducta est
 Breslaviam adversus; quae praesto occurrere posset,
 Suppetias urbi latum si tenderet hostis.
 Sub duce Nadaasti iussa est pars altera pubis
 Pergat, & inferno Svaidnitzam involvat in igne.
 Advolat armipotens ductor, circumdat & urbem
 Aggere sublato, latis praeque aggere fossis,
 Qua lateat miles, nullisque sit obvius armis.
 Utque opus absolvat, magno certamine miles
 Strenuus incumbit, totusque adhibere laborem
 Sedulus intendit, solidas impendere vires
 Et placet, & recreat, fessos non reddit & artus.
 Assiduis operis operi non tarda coronis
 Addita; mox illuc tormenta curulia ducta.
 Ictibus istorum non longo tempore muri
 Dissiliunt laceri, reclusaque semita lata est:
 Qua via militibus referata est commoda denis,
 Ordine si justo, directa & fronte subirent.
 Hanc muri adversus faciem, qui duxit hiatum,
 Tres arces adstructae adsunt; duo cornua lunae,
 Quae media, exscribit, similique extructa figura est.
 Illae aliae forma referunt, & nomine stellas:
 A gremio ipsarum nam plurimus angulus exit;
 Haud secus ac radios emittit stella trifulcos.
 Omnia tormentis armata vomentibus ignes;
 Omnibus insedit juvenum numerosa corona.
 Ac bene Nadaastis mentis pro lumine vidit,
 Non fore consilii per hiantem irrumpere rimam;
Quin

Quin morti objiceret turmas, mortisque periclis;
 Ni prius expulerit ternis ex arcibus hostes.
 Hoc ubi decretum, delectae ex agmine toto
 Insignes virtute manus, queis mortis imago
 Horrida quantumvis, sit visa simillima somno.
 Omnibus his turmis dux delegatus & aequae,
 Qui magis egregiis factis, quam voce moneret,
 Prodigus ut vitae, sic cautus obire pericla.
 Hos ubi Nadaestis jussit meminisse, quot olim
 Magnanimi dederint documenta insignia cordis,
 Concupiae in tenebris noctis contendere jussit.
 Ille sed in primis voluit Migazzus ut esset (12)
 Haec monitus, placida sic voce & fatus ad ipsum est.
 Cum tua jam satius fuerit mihi cognita virtus,
 His fidis oculis, non falsis auribus hausta
 Hungarica in terra, Geticae dum cornua lunae
 Fregeris, & plagas illeveris imbre cruoris,
 Jure tuo leganda tibi modo cura videtur,
 Ut turrim expugnes, quae forma & nomine luna est.
 Haud equidem inficior, multi quod plena pericli
 Alea: virtutem longe subsidit at infra
 Illa tuam, dextraque reor leviora pericla.
 Sint quaecunque velis: solus non ibis ad arcis
 Assultum: veniet tecum tuus inclytus ille
 Christophorus frater, precibus dum proteget: ergo
 Ibis, & evades quaevis discrimina sospes.
 An vero dubites, pietas quod mira, precesque
 Illius a grato quidquid petiere Tonante,
 Largius haud referent? pietas, inquam, illa, per omnem
 Quae pene Europam sancti vestigia moris
 Impressit: sacra illa manent, veneranda manebunt
 Belgarum in populis: Galli peregrina videntes

Submissi coluere: sinuque Hispania toto
 Et stupet amplexa, & nunquam delenda stupebit.
 Cognitus est praesens etenim mage clarus ubique,
 Quam procul absentem, & venientem fama canebat.
 Praeteream; haud operae est attexere quippe, quod egit
 Pannoniae in terris exemplo, moribus, ore;
 Cum sua dextra pedum strinxit, frons vincita thiara est.
 Romulei ritus fuerat quicumque, secutus
 Innocuis factis, venerata est altera secta.
 Area nobilior porro, seges amplior illum
 Vindobonam adscivit, fratremque hortata negantem
 Theresia: haud olim qua nulla excultior aetas
 Exstitit, extabit: tali Coelo alter ut Atlas
 Supponat Praesul tergum, reddatque coruscum
 Luce nova, & stellas radio meliore nitentes.
 Praestitit effectu Migazzus & omnia miro:
 Subjiciensque humeros oneri, spes praeterit actis.
 Debuerat populus praecepta aeterna doceri,
 Is docuit: norma institui potiore sacerdos,
 Instituit solus, tacuitque vicaria lingua.
 Fas erat, ut multi consciscerentur alumni,
 Conscivit; praesensque monet, fruge instruit apta;
 Austriaco ut niteant nascentia sidera Coelo.
 Jamque nitent: quorum facundia lucida fundit
 Eloquii radios, limenque ostendit Olympi.
 Est fratri obstrictus cum Pallade Phoebus: Athenae
 Vindobonae aut surgunt, aut tota Lutetia floret.
 Felix, & nimium felix! qui clarus in arte est
 Illius auspiciis: merces certa, ampla manebit.
 Christophori excelsas supra dos eminent illa,
 Quod studeat cordis memores expromere sensus
 Magnificos, meritum quod gratificetur & ultra.

Hacc

Haec sunt magna quidem, populisque accepta Deoque:
 Ast eadem collata jacent majoribus actis.
 Sunt inopum sedes, & grandia tecta Viennae,
 Theresiae pietas miseros quibus abdidit omnes,
 Christophoroque tuo curam delegat habendam.
 Haec cura, & curae meritum super omnia sane est:
 Tam bene consultum turbae vult frater egenae.
 Hospitia haec autem duodena & millia supra
 Enumerant capitum, & sancti plerique piique
 Emittunt ex corde preces noctuque diuque,
 Germano, pariterque tibi bona cuncta rogantes.
 An cassas Deus hasce preces patiat in auras
 Ludere? & haud unquam placidas indulgeat aures?
 Haec alii credant, nam mordicus ipse negarim.
 Tempus ad hoc scapulas illi nisi purpura textit;
 At teget: haec reddit venerandos purpura multos;
 Eximiis meritis venerandam is reddet eandem:
 Atque eadem nimium quoniam cunctatur adesse;
 Plus ferme erubuit, quam murice tineta quod esset.
 Ergo aderit, summis meritis non meta futura,
 Sed gradus: in ternas redigatur ut inde thiaras;
 Et tali ratione morae compendia solvet.
 Auguror; auguriumque ratum gesta inclyta reddent.
 Prima rudimenti fraterni exordia visa
 Sunt inibi, est aliis ubi meta extrema reperta:
 Incipit, absolvitque idem, qua desinet alter.
 Maeste animis ergo: vade arduus, irrue, vince:
 Te modo & exhibeas fortem, velut ante fuisti.
 Sub pedibus luna illa tuis superata jacebit.
 Dixit; & amplexum jussit, sub noctis adultae
 Ut tenebris tendat, ducendum adscribit & agmen.
 Post grates Migazzus abit: sua lumina somno

Nullus at indulget: socios irritat ad arma,
 Impatientsque morae est, segnes incusat & horas.
 Plurima dum vero nox intempesta filebat,
 Et picea late terras involverat umbra,
 Tum clandestinae terna ad munimina scalae
 Applicitae: vox nulla sonat, non bombus & ignis.
 At quibus indictum est, acies recto agmine raptim
 Illicet adproperant extrema ad culmina scalae,
 Et rapido infiliunt in propugnacula saltu.
 Huc ubi deventum, totis quot viribus ictus,
 Tot simul infligunt & vulnera lata, necesque.
 Praecipue vero lunae delatus ad arcem
 Cum primum advenit fortis Migazzus, eandem
 Occupat, ingentique gradu tenet, ejicit hostes,
 Vertit & ejectos tormenta curulia contra.
 Siquis at obstaret, pedibus nec credere vitam
 Intendat, manibusque suis plus fidere malit;
 Occupat infiliens saltu Migazzus in illum,
 Vel punctim & jugulat, caesim vel demetit ense.
 Datque aliis documenta, fugae se dedere sani
 Hic fore consilii, pugnae nihil esse salutis.
 Sic multi edocti properant excedere: Scyllam
 Dum vero evadunt, rabidam reperere Charybdim.
 Nam latere ex alio turris Romelius adstat,
 Palantesque manus, iraque metuque frementes
 Impetit; irarumque faces in sanguine mersas
 Extinguit; parilique opera formidinis auget
 Conceptam glaciem, caeditque, abigitque labantes.
 His ita transactis, ductor gratatur uterque;
 Alter & alterius celebrat praeconia: moxque
 Sic ad Nadastin resonis clamoribus. Ecce
 Sub nostris pedibus stat luna obtrita: fugaces,

Qui

Qui Borufforum reliqui, Svaidnitza recepit.
 Non procul a turri siquidem Nadaftis abivit;
 Ut praesens valeat, quantum novus exigit usus,
 Vel dare suppetias, vel tendere cominus ipse.
 Smettius e stellis unam celer occupat: illi
 Se comitem fortis jungit Batyanus: uterque
 Ediderunt magnam gladii cum fulmine cladem;
 Et clade incutiunt tantum terroris, ut ultro
 Dediderint sese captos milesque ducesque.
 Obstitit adnixis assultibus altera stella.
 Illius ad muros triplex defossa caverna,
 Quae foeta inferno fuerat cum pulvere; flamma
 Additur: exiluire et terra, & grandia saxa:
 Quae partim tumulant vivos, partimque trucidant;
 Impete quo fracti reliqui, retroque faceffunt.
 Redeys occurrit, faciesque miserrima rerum
 Non illum exteret, non plurima martia moles,
 Millenas bolides dum simplice torquet in ic̄tu;
 Dissitaeque in rectos componens agmina versus,
 Fertur ad assultum, depellere tentat & hostes
 Tempore quo praesto est acies numerosa Croa tum
 Gentis & Illyricae, vario sub nomine dictae.
 Hae prius ac adsint ibi, terrifico ululatu,
 Cui tormentorum jures bombum esse minorem,
 Insonuere; tremunt turres, mugitibus aether
 Intonuit, valles reboant, collesque resultant.
 Fulmina scloporum repetita tonitrua vocum
 Excipiunt: ic̄tus sub eodem & tempore centum
 Ingeminant, sc̄alas ineunt; verum occupat illas
 Redeys, & celeri Forgazzus scandere gressu.
 Evadunt, pinnaeque tenent, saltuque recepti
 In turrim, ejiciunt hostes, potiuntur & arce.

Ne vero redeat Boruffica plurima turma,
 Et pugnam instauret, socium sese Orfichus addit;
 Praeteriit rapidus qui summa cacumina scalae,
 Et turrim invadit; sequitur vestigia pubes
 Illyris, & laeti victa dominantur in arce:
 Dum reliquus nemo est, atque area libera tota.
 His bene transactis, mandat Nadaftis, ut agger
 Exurgat, pateatque scrobis depressa vorago,
 Miles ut hac tectus murorum invadat hiatum.
 Dum labor hic fervet, praeco redimitus oliva
 Tempora prodivit, cui postquam copia facta est,
 Nadaftin petiit; dictisque, & supplice vultu
 Nomine Praetoris se dedere nuntiat urbem.
 Inde ita conventum est; miles digressus ab illa
 Cum paulum fuerit, sua signa, & deserat arma,
 Et quo sit iussus, pergat captivus, inermis:
 Omnia quae fuerint Boruffi Regis in aere,
 Theresiae cedant belli pro jure recepta.
 Qui porro exierunt, ad millia sena fuere:
 Excipias caesos, aegros, cum vulnere laesos:
 Qui cuncti extiterant capitum plus millia nona.
 Est a Nadafti postquam Svaidnitza subacta, (13)
 Cum propriis turmis se contulit illicet ille,
 Et Caroli, & Dauni qua parte exercitus esset:
 Breslaviae contra faciem tunc quippe manebat.
 Huc ubi deventum est, ratio decreta, modusque,
 Quo Boruffiadas castris expellere possent.
 Haec eadem porro toto plus mense fuere
 Aggeribus latis, fossisque obsepta profundis:
 Additaque his etiam surgunt castella subinde:
 Abditus & castris ingens exercitus hostis;
 Qui numero explebat plus quadraginta virorum

Millia ; gens omnes bellorum instructa per artes ;
 Ac numero quae freta suo, virtute, loquace,
 Duxerat Austriadum cunctos obtundere nisus.
 Expediar paucis: aderant opera edita tanta,
 Lilia, loricae, pyrgi, munimina, tures :
 Quae si vel Carolus norat, vel Daunus, utrisque
 In mentem incidit fortasse obsistere coeptis.
 Oppida praeterea quoniam non pauca per agros
 Surgebant, eadem numerosa indagine vineta
 Et valli, & fossae, & robusto e stipite sepi.
 Haec sibi proposuit perrumpere ductor uterque.
 At recte ut dubiae succederet alea pugnae,
 Legati, fortesque duces, lectique tribuni;
 Sunt quibus adscriptae simili virtute cohortes.
 In geminas acies se porro exercitus omnis
 Explicuit; longo non tractu pone sequuntur
 Subsidia: in primis vadunt, queis cura sit orbes
 Pulvere tartareo foetos, & fragmine ferri
 Projicere; excipiunt sclopiis qui fundere glandes
 Grandine perpetua studeant: mavortia moles
 Plurima per cunctas trahitur digesta catervas:
 Post eques insequitur. Specieque exercitus aequa
 Borussus divisus erat, protectus at amne:
 Quo licet exiguus, sed adhaec in margine ripae
 Arduus ut natus, sic factus iniquior agger.
 Haec exercituum facies; & uterque paratus,
 Vertere quam tergum, flammis offerre, vel ensi
 Oppositum jugulum, & morti praeferre pudorem.
 Tempus erat, quando Titan trajecerat axem
 Ulterius medio, & brevior decreverat umbra,
 Cum procul horrifono crepuerunt classica cantu,
 Tympanaque, lituique pari clangore, tubaeque.

Majorem at fremitum tormenta curulia reddunt,
 Obnubuntque simul flammis, atque aethera fumo.
 Hoc ipsum inferti plumbo exhibuere canales;
 Continua hinc grando, quae nunquam utrinque remisit,
 Ast horam tenuit mediam, Boruffica pubes (14)
 Obstetit obnixa, at concessit ab aggere tandem:
 Austriaque instat agens, atque Arembergus eandem
 Exacuit dictis, factis praecedit & omnes,
 Ducit & in pagum Gratischen nomine: muros
 Occupat assiliens, tormenta vel occupat illic
 Plurima; conversisque pilas jaculatur in hostem.
 Hunc pudet, & reparat plusquam vice simplice pugnam,
 Sed nullo eventu: dux Arembergius urget,
 Et vetat, ut rursus junctum cogatur in agmen.
 Invietae virtutis opem sensere, fugaeque
 Se Boruffiadae dedunt, atque inde facessunt.
 Tunc Arembergus, validus Marquirus & aequae
 In vallum irrumpunt, tenuis cui pagus adhaeret;
 Nomine Smitfeldum dicunt: pugna, horrida pugna
 Hic vero incaluit: tota virtute repugnant,
 Atque repugnantes longe majore repellunt
 Brandenburgiacas acies legatus uterque,
 Et secum Austriacas adigunt ad gaudia palmae.
 Tum villam adversus, quae dicitur Hefflinchena,
 Atque eadem aggeribus, fossisque obsepta profundis,
 Contendit, secumque trahit collecta Viedus
 Subsidia: obnixi tentant defendere pagum:
 At neque Borussi sese potuere tueri
 Ejus ab assultu: quisquis sese obstinat illic,
 Occidit: illorum reliqui discrimine cauti,
 Quam manibus, potius pedibus confidere gaudent.
 Parte alia Pilsnitza fuit subigenda labore (15)
 Im-

Immodico, pariter redimenda & sanguine multo.
 Legati, primique ducum contendere iussi
 Sunt illuc; Kail agmen agit, vel Puebla, vel Haller,
 Clericus, Angernus, Kellis, Magernus, Ainfus,
 Atque alii, quorum numeris quis nomina claudat?
 Cum Kail assultus signum dedit, agmine recto
 Invasere duces vallum, quod quilibet ante
 Jam sibi proposuit, secumque egere cohortes.
 Hic vero horribilis pugna est exorta: tenere
 Ut Borussia locum, gens nititur Austria contra
 Exigere, obstantem certae vel dedere morti.
 Hinc gladii illi gladiis, hinc glandibus ictae
 In medio debent cursu consistere glandes;
 Et secum adnexae, conceptoque igne solutae
 Decidere in terram, flictuque hanc laedere tantum.
 Ter nixi Austriaci vallum conscendere, seque
 Projicere in fossas, toties sed abire coacti
 Incoeptis: videt, atque Kail efferbuit ira,
 Ductoresque alii, votumque est omnibus illud;
 Ni liceat vivis, vallum superare peremptis,
 Et genti Austriadum fossas aequare sequenti.
 Strenua tum virtus valuit: jam scanditur agger,
 Ac Borussiae membris in frustra redactis,
 Qua fuerant quondam, fossae non amplius extant:
 Sed plenae exurgunt, ipsius & aggeris instar.
 Ast age Nadaftis veniat, quo vindice tandem (16)
 Imposita est pugnae suprema & clara coronis.
 Ille acies duxit, queis est Svaidnitza subacta:
 Has lato explicuit campo, licet obvius esset
 Ignibus adversis; hilaresque impellit easdem
 Munitam in villam, quae Klaniburgica dicta.
 Praecedat validus dux Wolfferdorffius agmen,
 Primus

Primus & in vallum sese invehit arduus: ultro
 Insequitur generosa manus, valloque potitur,
 Multa obluetur quamvis Borussica pubes.
 At revocat tandem gressus, clivumque propinquum
 Occupat, obstructum pariter munimine lato.
 Applicat huc propere turmas Nadaftis, & umbrae
 Noctis ut ingruerint, oculis & lumen ademptum,
 Non ire abstinuit, frustratus at hostis euntem est;
 Dum recipit sese, timidam succedit & urbem.
 Atque ita Nadaftis quamquam non praelia miscet:
 Sed timor ipsius, nomen, praesentia vincit.
 Verum ubi versatur Princeps meus aureus ille (17)
 Armipotens Carolus? quo tendit Daunus, agitque?
 Nunc illos video, video non amplius inde.
 En modo conveniunt rursus, gratantur & una;
 Et sua significant alternis gaudia dictis.
 Mox ubi consultum est, Aquilae longe ocyus alis
 Alter ab alterius facie sese abripit: ille
 Advolat ad dextram, seque advehit iste sinistram:
 Atque ubi discrimen gravius, seque obstinat hostis
 Acrius, occurrunt, pugnant, hortantur, & urgent;
 Confectis & rebus ibi, rursus inde facessunt:
 Noctis & incubuit cum tandem densior umbra,
 Se rursus invisunt, ductorum & plurima turba
 Est pariter, gratesque Deo, magnaeque Parenti
 Ex animo solvunt, referuntque accepta trophaea.
 Mane novo, quoniam Borussus dedit urbem,
 Hanc cuncti ingressi; cunctis subit unica cura,
 Ut templum subeant, sœmni & carmine grates
 Virgineae repetant Matri, magnoque Tonanti.
 Dic mihi nunc, quaeso, neve indignare roganti, (18)
 O mea mens animi: quidnam mea dextera scribet,
 Cum

Cum magna Austriacis clades illata catervis,
 Et Borussiaci palantur ubique veredi
 Infantisque tubas, divulgantesque trophaea?
 Quid temere obloqueris? Sileas, os obstrue, finem
 Respice; finis opus decorat, redditque coronam.
 Esto, quod Austriacis clades accepta: quid inde?
 Confectumne igitur, belli an recrudit ardor?
 Conspice Borussos quot cingant undique turmae,
 Germani, Galli, Russi, validique Sueci.
 At nulli accurrant; Coelum, Reginaque Coeli
 Theresiae pugnat, certos dabit una triumphos.
 Tu cladem audisti: cladisne fatebere causam
 Nosse simul, superas & divinare latebras?
 Quis scit, an Austriacas victoria plurima gentes
 Reddiderit tumidas, & vinci posse negantes?
 Omnibus (an nescis?) contusa superbia seclis.
 Quod proprios populos Rex ille recensuit olim;
 Indoluit, dum saeva lues afflixit eosdem.
 Divitiis oculos multis quod paverit alter;
 Non modo divitias, regnum sed flevit ademptum
 Abdidit unus Achan saturatam murice vestem;
 Et castra Isacidum fuerunt saturata cruore.
 Quis scit, an Austriacòs inter subrepsit error
 Tunc aliquis, sive ille, parit quem saepe triumphus,
 Aut tumor, aut ludus, sive addita Cypris Iaccho?
 Fac, culpae fileant, debellatumque videbis.
 Quod vero fileant, nullus verearis: abegit
 Theresiae pietas sanctis vitia omnia castris.
 Tu simul & fileas ergo, citharamque resumas:
 Postque vices varias recoles fortasse triumphos.
 Francigenas postquam virtus Borussia cohortes
 Expulit, ejecitque procul, partimque peremit,

Et

Et partim in manicas pro belli jure receptas
 More triumphali Dresden deduxit in urbem,
 Legatis, primisque ducum prae milite raptis;
 In Silesiacas rursus Rex cogitat oras.
 Hinc illo maturat iter raptim agmine ducto:
 Sarcina non gravior, gravior nec bellica moles
 Devehitur; tantum, quod praesens exigat usus,
 Ingeritur plaustris, milesque accinctus iisdem
 It comes, & fessis illic confidere jussum est.
 Jam Silesiacas terras Fridericus inibat;
 Cum Carolus, Daunus, multique occurrere sani
 Consilii duxere, priusquam plurima secum
 Agmina colligeret, seu quae Borussica tellus
 Miserat, aut muris Glogavia magna tegebat.
 Crediderant illi, non multo sanguine posse
 Vincere Borussos, quoniam tum prorsus inermes,
 Et paucos numero: discriminis alea multi
 Sed fuerit, dilata diu si pugna fuisset.
 Hic disceptatum varie est: sententia dispar
 Pluribus at sedit, seditque exercitus illic;
 Et finit immotus, turmas ut colligat omnes
 Hostis, & ignivomas reddat Glogavia moles.
 Quod reliquum est; quidquid duxit Borussus agendum,
 Liber agit, quaevis etenim concessa facultas,
 Haud secus ac illic nullus foret hostis; & hostem
 Tum primum aspexit, cum sese invexit in illum.
 Quid causae fuerit, quis conjectaverit unquam?
 Discolor aut quoniam ducibus sententia risit:
 Aut quoniam spretus fuerat Borussus: eundem
 Montis inaccessi faxis, & ab aggere tectum
 Austriacus quando fudit prius; inde sepultum
 In fossis, & adusque caput munimine clausum,

Haud

Haud quaquam adnixus nimio conamine, vicit:
 Perdidit Austriacos ea confidentia forsân.
 Sicut & in fossis, atque inter inhospita saxa:
 Sunt sibi polliciti per apertos sternere campos.
 Jam procul haud aberat, carpebat & ordine longo
 Instructus Borussus iter, quando Austria sese
 Explicuit pubes, ut belli postulat usus:
 Inque aciem mediam, geminas digessit & alas.
 Subsidia haec claudunt accincta occurrere damno:
 Sub duce Nadaasti quartum pergebat & agmen,
 Incubuit cui cura manus fulcire labantes.
 Tempus erat, terris Titan quo surgit Eois:
 Is caput abdiderat picea ferrugine tectum,
 Purpureisque notis pallentem infecerat axem,
 Scilicet & moestus, fundendi & sanguinis index,
 Mane novo Regis prudentia callida movit;
 Consilium ast operit: dextram nunc fingit in alam
 Invehere; ad laevam porro contendit, & illinc
 Rursus abit, rursusque redit; quo reddere posset
 Austriacos dubios, quo primum accurrere tendant.
 Hos astus commentus ubi est Rex terque quaterque,
 Dum mediam Phoebus metam lustrabat Olympi,
 Conspicue demum se dextram invadere velle
 Exhibuit, viresque illuc convertere totas.
 Subsidia Austriadum sub eodem huc tempore currunt,
 Ille sub hoc puncto sed robora lecta virorum
 In laevum impegit cornu: jejuna luporum
 Incidit in caulas rabies, & turbat ovile
 Serius, ac hostem impetiit Borussia juvenus.
 Hic vero intonuit flamma, intensissima flamma,
 Et fremit, & repetita tenet creberrima: cuncti
 Crediderunt, illuc totum Phlegethonta coisse,

Et reliquam in stygiis antris vix esse favillam.
 In cornu hoc aderat tum Wittimbergica pubes,
 Et Bavara: hae vero, quoniam tolerare tot ignes,
 Ac nondum involvi flammaram a turbine suetae,
 Obstiterunt paulum, torfere & fulmina, seque
 Exhibuere viros Germano e sanguine natos.
 At quia gliscebant tempestas ignea semper,
 Sternebatque solo comites, mutilabat & artus,
 Deficiunt sensim, circumspiciuntque saluti
 Effugium, & nusquam viso, sua denique terga
 Convertunt, inhiantque fugae se dedere raptim:
 Atque adeo in voto est flammaram evadere nimbos.
 Quo facto Austriacos capta statione manentes
 Impellunt, abiguntque. Hic clamor dissonus ortus
 Austriacae gentis fortes pugnare iubentis;
 Illarumque, fugae sit copia facta, rogantum.
 At timor obtinuit; fugiunt, coguntque negantes,
 Ut secum fugiant, atque agmina dissita solvunt.
 Sic Borussiacis aditus spatiosus apertus:
 Huc sese intrudunt, medioque ex agmine laevam
 Abscindunt: tum victor io clamatque triumphe!
 Quosque obluentantes sibi conspexere, trucidant;
 Quos timidos, positis armis se dedere cogunt.
 Tunc, quia nox aderat fusca circumdata palla,
 Qui reliqui ex victis, excedunt Martis arena,
 Ordinibus nusquam ruptis, vigilesque morantur
 Perpetuam in noctem; Phoebi cum lampas & orta est,
 Discedunt, rabidique vident; hostisne sequatur,
 Et vice plus una; cum nemo instaret at ullus,
 Ex ignominia flagrant: pudet ire, pigetque:
 Atque indignantes pariter sociisque, sibique,
 Alter in alterius faciem sic latrat: Et istos

Nos

Nos fugimus, veluti mures quos nuper ab antris
 Eruimus pullos, victosque cecidimus? Illi
 Nos superant? Quare a nobis descivimus ipsis
 Degeneres? Eadem virtus est mascula cordi;
 Pectus idem, primaeque manus, & Martius ardor:
 Nos vitia, & culpa, nos nostra superbia vicit.
 Credidimus, veluti cryptis, atque aggere tectos,
 Obtectosque jugis, fossisque affliximus olim,
 Atterere in campis pariter, visuque vorare:
 Nec spes nixa Deo est, qui palmas annuit unus.
 Annuat an nobis palmas, ubi laedimus illum?
 Dum sumus & nobis freti, dum spernimus hostem?
 Hac vice sermonum tendit, milesque subinde
 Vertitur; & votum est, Borussi ut pone sequantur;
 Dedecus ut proprio, vel sanguine delet hostis.
 Hic autem Austriacas penitus prosternere turmas
 Dum sibi spes suberat, parsit; sed tramite recto
 Breslaviam petiit: supra ter quina virorum
 Millia praesidio hic aderant: Fridericus ad urbem
 Plus minus admovit, flammam jaculatus & intro
 Est aliquot, quae saepe ferunt incendia secum:
 Cum Praetor (nomen, plusquam execrabile nomen,
 Devotum nomen, damnandum nomen & umbris
 Allinere his renuam foliis, ne pestis inurat
 His maculas, neu vivat idem volventibus annis)
 Cum caput invisum Praetor se dedere passus
 Non modo Breslaviam, sed quidquid militis illic
 Captivum, addictum vinclis, exerme, dolensque.
 I, age; sint furiae tecum, mens conscia diri
 Quas facti exacuet. Borusso a Rege quid unquam
 Est tibi, quod speras? Catus idem, & providus heros.
 Proditio arrisit ferme, non proditor illi.

Quid-

Quidquid in Aufriacos laevi es molitus, id aequè
 Haud dubitat, sane quin sis ausurus in ipsum.
 Quae tibi deditio infamis compacta, negavit
 Mordicus huic Pekius, multi & subscribere, solus (19)
 Queis honor in pretio, sceleris quibus integra vita.
 Exul eris, neglectus, inops: qui cernet euntem,
 Proditor hic ille est, dignus qui stipite, dicet;
 Et faciem avertet, monstrabit & indice passim.
 Quam sibi consuluit melius Balous, & una
 Praesidio! Commissa suae Lignitia curae
 Jam fuit, urbs parva, & parvo munimine tuta.
 Inflatu Borussus adest; sibi tradat & urbem,
 Imperat, & turmas, quae versarentur in illa.
 Sin secus; obnixo flammam, ferrumque minatur.
 Risit ad haec Praetor, ridenti & voce reponit:
 Ni mihi, militibusque meis ea copia fiet,
 Prorsus ut immunes porta tendamus ab urbis,
 Arma exertantes, pulsantes tympana buxo,
 Omnia pandentes ventis insignia belli,
 Et veluti ex usu est, tormenta assueta ferentes;
 Huc veniat, tumidus veniat Borussus: ibidem
 Ignibus objectos ignes, ferroque dolebit
 Oppositum ferrum, & saturandum utroque cruore.
 Vox valuit generosa viri: quaecunque petivit,
 Pro nutu assequitur, liberque, egressus ab urbe est.
 Insequitur miles juxta, vultuque minaci
 Aut animat flatu lituos, aut tympana pulsat.
 Ipse sed it primus blanda feritate verendus,
 Grataturque sibi Balous, & exhibet ore
 Laetitiam, meruit raram quam corde virili,
 Hostibus acceptus, plus vero acceptus amicis,
 Nulla ignominia, cumulo sed onustus honoris,
 Cujus

Cujus & aspectus referet praeconia laudis,
 Cujus & aeternos nomen florebit in annos.
 Praesidium eduxit sospes Balous; idemque (20)
 Praesidium attritum decor ille & gloria gentis
 Francigenae Peruasa. Sibi data cura tueri
 Exiguam, parvam, vixque urbis nomine dignam,
 Harburgam appellant, quo tempore foedus inivit
 Cum Gallo Hannoverus: non ergo tempore tali
 Hostis ab incurfu quidquam Peruasa timebat.
 Hinc non vim Cereris magnam, nec pulveris ille
 Tartarei adduxit secum, tormenta nec aequa;
 Poscit ut obsidio, diuturna ubi forte teneret.
 Suspicio cum belli ergo non ulla subesset,
 Hannoveri sensim conspiravere silentis
 Urbis in excidium, & secum duxere, quod esset
 Ejus in exitium, Praetor ni dederet illam.
 Pollicitis, pariterque minis tentatur is ante:
 Quae quoniam frustra fuerunt, properatur ad arma:
 Quidquid & excudit flammaram ars nupera, totum
 Ingerit in muros, & in omnia tecta domorum.
 Jam locus est nullus, quo possit degere miles:
 Omnia sunt rupti lapides, & rudera: mallet
 Sub Jove versari pubes, quam saxa timere,
 Quae vel saepe ruunt, vel pene ruentia pendent.
 Praetor at infractus, milesque invictus eodem
 Proposito constans prodire ex urbe recusat.
 Compulit at tandem, tectorum haud certa ruina,
 Aut stygiae flammae, sed multa angustia rerum.
 Ergo per haud ulla portas, per at eruta prodit
 Moenia militiae quovis cumulatus honore,
 Arma ferens, lituos inflans, insignia pandens
 Miles, at infectus picea ferrugine vultum,

Semustus chlamydem, lacerus crepidasque sagumque:
Sed stabili magnoque gradu procedit, & ore
Laetitia talem praefert, ut pene pudorem,
Invidiam at certe pariat victoribus ipsis.
Hoc magis, exivit numerus quia parvus ad hostem
Compositus: cuncti sexcenti & mille fuerunt;
Qui geminos ultra valuere obsistere menses,
Et sibi digressis laetum paecana sonare.

